

1427 adesse sensit, inermis equo sedens, extra portam, quæ Nazarena dicitur, se proripuit: hic incompositam turbam ex urbe erumpentem imperio coercens, neminem longius procedere est passus, quoad Paulus Ursinus qui aderat, arma induisset. Tum illi trecentos, qui armati ante alios fuere, tradit equites, cum quibus per averſa ab hoste loca circumvectus, media ab Octolengo via in infidiis eſſet. Inde reliquum equitatum hosti objecit, jubetque, injecto certamine, tam diu abeuntem hostem pugna diſtinere, donec ad locum infidiarum ventum eſſet: tum a fronte, a tergo circumventos hostes majore prælio adorti, ad unum opprimerent. Atque ita ſane, ut ille animo conceperat, evenit. Præcipitatus in infidias hostis, male habitus eſt: cæteris fuga diſlapſis, Petrinus cum centum quinquaginta equitibus in Venetorum poteſtatem venit. Eodem die, quo ita res proſpere geſta erat, Carmaniola eſt Brixiam ingreſſus: qui ægre tuliffe dicitur, primum equeſtre prælium alienis, non ſuis auſpiciis ſæliciter commiſſum. Et jam omnibus, quæ ad rationem belli attinebant, in unum collatis, centurionibusque ac turmarum ductoribus undique accerſitis, circa idus Majas cum quatuordecim millibus equitum & ſex peditum Venetus Imperator Brixia proſectus, ad Montemclarum primo metatus eſt: ubi tam diu ſubſedit, quoad reliquæ copiæ quæ parari dicebantur, eo convenirent, machinæque & alia bellica opera curribus impoſita ad ſe comportarentur. Paucis in ea expectatione potius quam obſidione diebus conſumptis, quia natura & armis munitiffimus erat locus, nec circumſedendo quicquam ſe proſecturum videbat, motis caſtris, Octolengum verſus Carmaniola ire pergit. Erant ibi præſidio mille Philippi equites: quos cum ipſo oppido ſe brevi intercepturum ratus, haud procul mœnibus tumultuoſe conſedit. Per eos autem dies Guido Taurellus, Chriſtophorus Lavellanus, & Nicolaus Guerrerius cum ſuis equitum aliſ eo venerant. Hi taciti, ut opportuniſ in hoſtem erumperent, aliquandiu intra mœnia ſe tenuere. Veneti ubi in conſpectu oppidi fuere, pars æſtivo calore feſſi, humi cor-  
pora